Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Si camitas contigerit · pusillanimis non existas. Habeto temperamentu
in prosperis. habeto patientiam in aduersis. Probari te in dolore
cognosce non frangaris. probari te in prosperitate cognosce non
exaltaris. Aequalis esto in omnib. mente nec gaudio nec merore
commutes. omia equali iure sustine. nulla insolentia commuteris.
Nullus te casus inparatum inueniat. nullus sit casus que meditatio tua
non preueniat. Propone tibi nihil esse · qd non accidere possit.
premeditare contra omia fortuita. futuras semp commentare miserias.
in secundis meditare quo pacto aduersa feras. ne aliquid aduersum ac
cidat · semp animo cogita · Sapientis est periculi preuidere iacturam.
Omia meditata leniora accidunt. expectata mala tollerabiliter ferunt.
cedit aduersus casus consilium. Prespecta res non admiratur cum acciderit.
aduenientes impetus · meditatio frangit. Precogitatio molestias futuras
attenuat. preuisio malorum. lenit aduentum. inopinatum aut malu
fortiter ferit. Acerba sunt que cogitata non fuerint. grauia existunt
in quibus inprouisi incurrimus. inprouisa mala · grauiter feriunt.
Repentinum malum cito frangit. qd prouisum non est uehementer
affligit. Subita maris tempestas. terrore exsuscitat. Inprouisus hostis
male perturbat. inopinatus hostis. facile opprimit. Omia re-
pentina · grauiora existunt. que repente accidunt · grauiora
occurrunt. Et ad bona igitur · et ad mala prepara cor tuum.
et bona et mala pro ut tibi euenerint porta · Et aduersa et prospera · ut
cumq; occurrere tolera qdcumq; euenerit mente libera sustine. DE IRA COHIBENDA.
Si preuenerit iracundia restringe illam. si preoccupauerit ira ·
mitiga eam. Tempera furore. tempera indignatione. Cohibe animi motum. refrena ircundie impetum. Si non potes iram uitare uel
tempera. si non potes furore cauere · uel cohibe. promptior esto ad
suscipiendam quam ad inferendam malitiam. Disce mala magis tolerare
quam facere. disce mala ferre potius quā referre. DE PACIENTIA
Caue ne sis ultor iniuriarum tuarum. Esto patiens. esto mitis. esto
mansuetus. esto modestus. Serua patientiam · serua modestiam ser-
ua mansuetudinem. studie patientie. Despice probra inlate contumelie. inrisi
onum probra despiciendo exsupera. Dissimulando errores detrahentium